

76

I. N. 7.
APHORISMI NONNULLI,
DE
N E X U
SCIENTIARUM
PHILOSOPHICARUM,
QUOS,
*Adnuente Ampliss. Collegio Philosophico in Regia
Academia Aboënsi,*
PRÆSIDE
DOCT. CAROLO FRID.
MENNANDER,
Haetenus Scient. Nat. jam S. S. Theol. PROFESS.
Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBRO,
Publico examini subjicere constituit,
ALUMNUS REGIUS
CAROLUS STÅLPE,
Astro - Feno.
Die XIX. Junii, Anni MDCCLIII.
In Auditorio Majori,
horis ante meridiem coniveris.

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc, Finland.
JACOB MERCKELL.

Maxime Reverendo atque Amplissimo VIRO,
DN. CHRISTIANO
MELARTOPOEO,
ARCHI-PRÆPOSITO per Careliam Ruthenorum, &
Consistorii Wiburgensis PRÆSIDI gravissimo, eccl-
siarumque Svethicæ & Fennicæ urbis illius
ANTISTITI vigilantissimo,
MÆCENATI PIA MENTE COLENDO.

Multa sunt, VIR Maxime Reverende, que me,
ne de vultu quidem TIBI notum, & immaturum
hunc ingenioli mei fætum, aditu ad limina TUA pro-
hibere videntur. Cum enim omni, qua se commendabiles
reddere queant, dignitate destituantur hæ pagel-
læ, justus animum occupavit timor, ne favorem TUUM
conciliaturus, eodem prorsus evasurus essem indignus.
Interim tamen omnem mihi verecundiam exemit & hæ-
sitantem confirmavit illa inter reliquas TUAS virtutes
caput extollens benignitas plane singularis, qua omnes
bonarum litterarum cultores, qui clientelam ac patro-
ciniū

cinium TUUM expetunt, excipere soles. Hac benevolentia TUA, quæ e fama communi mihi innotuerat, animum reficiebam; humillima s̄e fretus, nec me unicūm favoris TUI præsidio exclusum iri, sed idem compluribus aliis antea impertitum, etiam mihi, utut immerenti, cui Divina providentia contigit vocatio ad loca illa, ubi TU rei ecclesiastice curam geris, esse expectandum. Ne igitur, VIR Maxime Reverende, humillime precor, hac, quam foveo, fiducia humillima & certissima, me excidere patiaris. Suscipias vero, queso, & adspicias serena, ut soles, fronte munuscum hocce chartaceum levidens, quod TIBI pia & venerabunda porrigitur manu & mente. Et quum omni alio splendore careant pagellæ hæ, a TUO Nōmine Amplissimo easdem coruscare benignissime finas. Ego vicissim, ad SUPREMUM NUMEN pro TUI Tuorumque perenni felicitate, vota fundere non intermittam calidissima ardentissimaque.

Maxime Reverendi atque Amplissimi NOMINIS TUI,


Humillimus cultor,
CAROLUS STÅLPE.

Admodum reverendo atque præclarissimo VIRO,
Dn. CAROLO MELARTOPOEO,
Ecclesiarum, quæ Deo in Uskela colliguntur, PASTO-
RI vigilantissimo, districtusque adjacentis PRÆPOSITO
longe meritissimo.

VIRO admodum reverendo atque præclarissimo,
Dn. Mag. MARTINO GRÄUBL
PASTORI in Tofiala meritissimo.
VIRO plurimum reverendo atque præclarissimo,
Dn. Mag. GABRIELI HÄKEMAN,
PASTORI in Caris lojo dignissimo.
PATRONIS ac FAUTORIEUS OPTIMIS.

Benevolentie VESTRÆ ac favoris, PATRONI &
EVERGETÆ OPTIMI, beneficiorumque, qui-
bus me non designati estis ornare, indicem quamvis,
quod ingenue confiteor, ne capere quidem queant pagellæ
hæ paucæ & levissimæ: VOBIS tamen ut eas consecra-
rem exegit pietas, postulavit debita gratissimi animi
veneratio. Has itaque eodem, quo me ipsum semper,
benigno vultu excipiatis, obsecro. Hoc si mibi conti-
gerit, novo & maximo benignitatis documento me ac-
cumulatum esse latus judicabo. Quod superest, cum
omnis generis felicitatis ardenti adprecatione, dum
vivam, permanebo,
Admodum & Plur. Reverendorum atq: Præclarissimorum
NOMINUM VESTRORUM,

Cultor humillimus, observantissimus,
CAROLUS STÅLPE.



APHORISMUS I.

Missis ceteris omnibus Philosophiaæ notionibus, eorum hic nostram facimus sententiam, qui eam per scientiam rerum divinarum & humanaum, rationis ductu comparabilem, definiunt.

APHOR. II.

Principium, a quo omnes res, quæ objecta sunt Philosophiaæ, & quoad essentiam & existentiam eaurum, dependent, est Deus, Ens illud absolute necessarium & perfectissimum. Dignissima itaque hæc & altissima omnium disciplinarum Philosophicarum, *THEOLOGIA NATURALIS*, de Deo, ejusque attributis & operibus, quatenus ex rationis lumine hauriri potest, nobis tradit scientiam.

APHOR. III.

Philosophia, quatenus scientia, certa, ex quibus demonstrari debet, præsupponit principia. Hinc ceu universalissima totius Philosophiaæ pars consideranda veat *ONTOLOGIA*; hæc enim primorum cognitionis humanæ principiorum, notionumque rerum universalissimarum, quæ in omnibus reliquis disciplinis Philosophicis usum præstant, nobis exhibet scientiam.

A

APH. IV.

APOR. IV.

Per res divinas, quarum in definitione philosophia
æ facta est mentio, intelligimus spiritus & corpo-
ra, adeoque totam rerum universitatem, in Deo solo
agnoscentem rationem sui sufficientem. Per humanas
vero, non tantum actiones hominum morales, prælu-
cente intellectu & decernente voluntate factas, adeo-
que ipsis imputabiles; verum etiam rerum naturalium
illas, quarum ab industria & inventione humana, qua
partem aliquam, dependent determinationes. Triplex
hinc oritur scientiarum philosophicarum divisio. Aliæ
quæ enim circa res naturæ occupantur; aliæ in diri-
gendis intellectu & voluntate humana industriam col-
locant; aliæ vero res artis concernunt. Possunt autem
res hæc omnes vel ratione qualitatis, vel quantitatis, vel
finium respectu, considerari.

AOHR. V.

Cum res hujus universi, respectu qualitatis conside-
ratæ, duplices sint differentiæ, aliæ nimurum mate-
riales, aliæ iterum immateriales, quæ circa illas oceu-
patur, philosophia, in duas dividitur partes, videlicet
in PHYSICAM & PNEUMATOLOGIAM, quarum illa rerum
materialium, seu corporum, hæc vero rerum immate-
rialium scientia absolvitur.

APHOR. VI.

Corpora, quæ objecta sunt Physices, sunt vel totalia
vel partialia, quæ utraque conceptus quosdam ha-
bent communes, unde tres oriuntur Physices partes,
Physica scil. generalis, cælestis & specialis. Prima corpo-
ra in genere, secunda totalia, & tertia corpora par-
tialia contemplatur.

APH. VII.

APHOR. VII.

Corpora partialia licet innumera sint, ad duas tamen classes generales referri possunt; quarum una ea, quæ elementa vocantur, aut Verulamio collegia corporum majora, altera minora, vel ipsa corpora specialia, quæque naturalium nomine venire solent, complectitur. Unde fit, ut in duas partes dispescatur Physica specialis, nempe in *Physicam elementarem & corporum naturalium*. Illa per Scientiam elementorum, hæc per Scientiam naturalium definitur.

APHOR. VIII.

Circa res immateriales hujus universi versatur *PNEUMATOLOGIA*, & illa, quæ animæ indolem pandit *Psychologia*. Animæ autem quum sint vel hominum vel brutorum, ratio patet, cur Psychologiæ, de animabus humanis ex professo agenti, ceu appendiceis loco, subiungitur a nonnullis Scientia de animabus brutorum,

APHOR. IX.

Quellenus vero præcipua ratio habetur animæ humanae, duarumque ejus facultatum dirigendarum, cognoscitivæ nim. & appetitivæ, quarum illa a vero, hæc a bono aberrare solet, binæ aliae emergunt Scientiæ Philosophicæ; *LOGICA* scil. & *PHILOSOPHIA PRACTICA* seu *MORALIS*, quarum una facultatem cognoscitivam, altera appetitivam dirigere docet.

APHOR. X.

Facultates animæ dirigendæ regulis quibusdam conformentur necesse est. Ad hanc autem facultatum animæ, ad regulas conformatiōnem requiri, ut cognitio ipsarum illarum regularum præcedat, applicatio vero subsequatur, itidem patet. Atque hæc ipsa, si ad logi-

cam adplicantur, rationem ejusdem divisionis in Theoreticam & Practicam exinde cernere licet. Logica Theoretica regularum, ad quas facultas animae cognoscitiva dirigi debet, scientiam tradit. Logica vero practica eaurundem, in casibus obviis, adplicandi modum demonstrat.

APHOR. XI.

Regulæ, quibus facultas animæ adpetitiva, circa quam dirigendam Philosophia practica versatur, conformari debet, Legum nomine venire solent. Ad has vero, ut rite adplicantur, quum etiam requiratur, ut principia quadam præmittantur, ex quibus demonstrari & cognosci possint; manifestum est, cur prima Philosophia practicæ pars constitui a recentioribus soleat *Philosophia Practica universalis*; hæc enim principiorum illorum generalium, unde leges, quibus conformiter dirigenda est facultas animæ adpetitiva, demonstrari & cognosci possunt, scientiam subministrat.

APHOR. XII.

Quia vero status humanus, generatim spectatus, duplex est, naturalis nim. & socialis, & variante statu, variantur quoque leges; duas aliae adhuc Philosophia practicæ adnumerandæ veniunt disciplinæ, *Jus naturæ* & *Jus Sociale* nominari solitæ. Illud secundam, hoc tertiam ejusdem partem constituit.

APHOR. XIII.

Jus naturæ facultatem adpetitivam, in statu naturali, legibus conformiter dirigere docet. Leges autem istæ quum ita sint comparatae, ut, salva felicitate humana, ad quarundam custodiam non cogi, ad alias iterum servandas etiam vi externa adigi queamus, & illæ non cogentes, hæc vero cogentes vocari soleant; *Jus naturæ* in duas dispescitur partes, videlicet in Ethicam

eam & Ius naturæ sibi sic dictum. Illa leges non cogen-
tes, hoc vero cogentes complectitur, earumque servan-
di rationem demonstrat.

APHOR. XIV.

Jus sociale scientia est dirigendi facultatem adpetiti-
vam legibus convenienter in statu sociali. Sociates,
ex quibus status socialis nomen sortitur, ad tres clas-
ses referri solent. Ad primam pertinent conjugalis,
paterna, herilis & familiae. Ad secundam civitates, &
ad tertiam integræ gentes referuntur. Hinc etiam in
tres partes speciales dividitur Jus sociale, nempe in *Oe-*
conomicam, *Politicam* & *Jus gentium*. Prima scientiam tra-
dit facultatem adpetitivam legibus conformandi in socie-
tatis primæ classis. Secunda, quomodo eadem legibus
convenienter adtemperanda est in civitate, docet; & ter-
tium demonstrat, quasnam leges integras gentes inter se
custodire convenit.

APHOR. XV.

Excipit jam *TECHNOLOGIA*, quam definimus per sci-
entiam rerum artis. Quatenus vero nondum est ex-
ulta, neque ordo disciplinarum, quas complectitur, ri-
te indicari potest. Interim non artium modo, quæ di-
ci solent, liberalium condi potest philosophia, sed ope-
rum quoque artis humanae omnium, etiam eorum, quæ
organorum corporis, manuum potissimum opera, ab ho-
minibus perficiuntur, si ad formam scientiae fuerint re-
ductæ. Generatim hæ artes in vulgares & digniores di-
spisci possunt.

APHOR. XVI.

Res tam naturæ, quam humanae & artis, quarum hue-
usque, in considerandis scientiis philosophicis, quali-
tatum habuimus rationem, adhuc quoad quantitatem &
fines

fines earum, considerari possunt, unde duæ iterum *Philosophiaæ* accedunt disciplinæ, *MATHESIS*, circa quantitatem rerum investigandam occupata, & *TELEOLOGIA*.

APHOR. XVII.

Res finite immateriales, quamvis ipsæ quantitatis sint expertes, vires tamen earum ob finitudinem augeri & minui possunt, adeoque illo respectu etiam iis quantitas competit. Est vero hanc exigens *Psychometria* adhuc inter scientias desideratas.

APHOR. XVIII.

Quantitas, quum dupli ratione considerari possit, prout nim. a rebus abstractur, vel iisdem ipsis inest; duæ quoque constituantur Matheseos partes, nempe, *Mathesis pura* seu *abstracta*, & *Mathesis mixta* seu *adplacata*. Illa scientia est quantitatis rerum ab iisdem abstractæ, hæc vero quantitatis rerum in iisdem ipsis considerataæ.

APHOR. XIX.

Quantitas abstracta vel discreta est, vel continua; unde duæ sunt Matheseos puræ partes, nim. *Aritmetica* & *Geometria*. Prior circa quantitatem discretam, posterior circa eandem continuam occupatur.

APHOR. XX.

Arithmetica & modo vulgari, & sublimiori ratione tractari potest; quo respectu duæ ejusdem sunt partes, *Arithmetica* scil. *vulgaris*, seu scientia quantitatis discretæ simplicior, & *Algebra*, seu scientia ejusdem sublimior, veritates latentes & difficiles investigandi & determinandi.

APHOR. XXI.

Ad quantitatem continuam, quæ objectum est Geometriae, etiam pertinent triangula, tam rectilinea quam sphærica. Horum scientia, quum præcipui sit ponderis, separatim

ratim quoque, quamvis re vera species sit Geometriæ, tradi solet. Scientia quantitatis triangulorum rectilineorum *Trigonometria plana*, sphæricorum vero *Trigonometria sphærica* adpellatur.

APHOR. XXII.

Quantitas vel rebus Physicis vel Technologicis separatim, vel utrisque conjunctim applicari potest. Hanc tres oriuntur Matheſeos mixtæ seu applicatae partes, nam 1:o Matheſis, ad res, tam physicas, quam technologicas conjunctim eonſideratas, 2:o Matheſis ad res physicas ſolum, & 3:o Matheſis ad res technologicas itidem ſolum applicata.

APHOR. XXIII.

Quellenus quantitas ad res tam physicas quam technologicas generatim applicata conſideratur, tres habemus scientias Matheſeos mixtæ, *Opciam* videt. *Chronologiam* & *Mechanicam*. Prima scientia eft de rerum viſibilium adparentiis, quantitateque circa eas determinata, quæ iterum, prouti res, vel per radios rectos, vel reflexos, vel refractos in oculos incurruunt, subdividitur in *Reflexoptricam*, *Catoptricam* & *Dioptricam*. Secunda quantitatē temporis, & tertia quantitatē gravium, vel ponderandorum vel cum virium compendio moveñdorum, determinat.

APHOR. XXIV.

Cum vero ad Physicam separatim applicatur quantitas, & quidem 1:o ad Physicam cœlestem, oriuntur inde in genere *Astronomia*, seu scientia quantitatis corporum totaliū; in specie vero *Geographia*, quæ scientia eft quantitatis telluris nostræ. 2:o Ad physicam specialem; dueunt hinc originem *Aërometria*, seu scientia quantitatis aëris; *Hydrostatica*, scientiam exhibens quantitatis fluidorum, corporumque illis immersorum ponderandorum; & *Hydro-*

draulica, scientia fluidorum loco movendorum quantitatem determinans.

APHOR. XXV.

Ad Mathesin rebus technologicis applicatam, perfinent, *Architettura* 1:o *Civilis*, seu scientia quantitatis variorum ædificiorum generum exstruendorum, 2:o *Militaris*, seu scientia quantitatis munitamentorum exstruendorum, defendendorum & oppugnandorum, 3:o *Navalis*, quæ navium construendarum quantitatis scientiam tradit, & *Gnomonica*, quæ scientiam offert horologia solaria & lunaria delineandi, quatenus determinata quantitas ibidem locum habet.

APHOR. XXVI.

Theologie est scientia finium rerum. Finis omnium scientiarum philosophicarum absolute ultimus erit gloria Divina; & respective talis, felicitas hominum temporalis & civilis. Ad hanc vero quum multum conferant & insignem ejusdem constituane partem opes, caput hic erigit, quæ harum & acquirendarum & conservandarum, amplificandarumque scientiam docet, disciplina; *OECONOMIAM* puto, quæ, prouti vel totius civitatis, vel hujus aut illius hominis in specie, opes pro objecto habet, in *PUBLICAM* & *PRIVATEAM* dispescitur. Oeconomia hæc, quum a ceteris plerisque scientiis philosophicis & materiam & formam mutuetur, & in eam reliquæ, partim directe partim indirecte concurant, seriem earundem claudat.

T A N T U M.

